Offeruntur hoc indice literarum artiumque cultori opera, quae Bibliotheca principalis Lichtensteiniana bis vel pluries possidet, quibus adhuc aliarum collectionum consimilis conditionis volumina adjecta sunt. Separationem hanc factam, partim ut novis accessionibus pararetur locus, partim ut fini suo, frequentiori usui scilicet et delectationi restituerentur libri, probari omnino non dubitamus, cum magnam partem sint aut utilissimi aut pretiosi et rariores, quibus non unius tantum collectionis privatae imo et publicae defectus repleri possent.

Venditionis initium erit die XXVI. Martii 1816 et sequentibus hora nona matutina usque ad primam pomeridianam ordine paginarum et numerorum indicis strictim servato. Libri post addictionem non traduntur, nisi parata pecunia.

Exteris amatoribus officia praestare parati sunt

D. Carol. Ferd. Beck

D. Carol. Schaumburg et Soc. Bibliopol.

Artaria et Soc. Iconop. Vindobon.